

possidebit æternam. *Hieronymus* (circ. fin. Comm. ad cap. 19.) Ex occasione autem huius sententia, quidam introducunt mille annos post resurrectionem: dicentes, tunc nobis centuplum omnium rerum quas dimisimus, & vitam æternam esse reddendam: quod si in ceteris digna sit promissio, in uxoriibus appareat turpitudine, ut qui unam pro Domino dimiserit, centum recipiat in futuro. Sensus igitur iste est: Qui carnalia pro Salvatore dimiserit, spiritualia recipiet; quæ comparatione, & merito sui (1) quasi parvo numero centenarius numerus compararetur. *Origenes* (Matth. 19. tract. 9.) Sed in hoc sæculo: quia pro fratribus carnalibus multos inveniet fratres secundum fidem; sic & parentes, omnes Episcopos, & presbyteros & filios, omnes ætatem filiorum habentes. Sunt autem & angeli fratres, & sorores omnes quæ exhibuerunt se Christo virgines castas, tam istæ quæ nunc habentur in terris, quam illæ quæ jam vivunt in cælis. Agros autem, & domos multiplices intellige in requie paradisi, & civitate Dei. Super hæc autem omnia possidebunt vitam æternam. *Augustinus* 20. de Civitate Dei, cap. 7. Hoc etiam quod hic dicitur, *Centuplum accipiet*, exponens quodammodo Apostolus ait (2. Corinth. 6.) Quasi nihil habentes, & omnia possidentes. Centum enim pro ipsa universitate ponuntur aliquando. *Hieronymus*, hoc loco. Quod autem dicit, *Et omnis qui reliquerit fratres*, congruit illi sententia qua dixerat, supra 10. *Veni separare hominem à patre suo*. Qui enim propter fidem Christi, ac prædicationem Evangelii omnes affectus contemperint, atque divitias, & sæculi voluptates, sibi centuplum accipient, & vitam æternam possidebunt. *Chrysolomus* in hom. 65. Cum autem

(1) *Supple cum Nicolajo ita erunt, ut est in Hieronymo* (2) *Al. sensisse.* (3) *Al. sunt.*

## CAPUT XX.

(a) **S**imile est Regnum Cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Conventionem autem factam cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. Et egressus circa horam tertiam vidit alios stantes in foro otiosos, & dixit illis: *Ite & vos in vineam meam, & dabo vobis: Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextam, & nonam horam, & fecit similiter. Circa undecimam vero exiit, & invenit alios stantes, & dixit illis: Quid hic statis tota die otiosi? Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: *Ite & vos in vineam meam. Cum sero autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem suam, incipiens à novissimis usque ad primos. Cum venissent autem & primi, arbitrati sunt quod plus essent accepturi. Acceperunt autem & ipsi singulos denarios. Et accipientes, murmurabant adversus patremfamilias, dicentes: Hi novissimi una hora fecerunt, & pares illos nobis fecerunt qui portavimus pondus diei, & æstus? At ille respondens uni eorum, dixit: Amice, non facio tibi injuriam. Nonne ex denario**

nario convenisti mecum? Tolle quod tuum est, & vade. Volo autem & huic novissimo dare sicut & tibi. Aut non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Sic erunt novissimi primi, & primi novissimi. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.

(b) Et ascendens Jesus Hierosolimam, assumpsit duodecim discipulos secreto, & ait illis. Ecce ascendimus Hierosolimam, & Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & scribis: & condemnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum; & tertia die resurget.

(c) Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans, & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei, Quid vis? Ait illi: Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo. Respondens autem Jesus, dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicunt ei. Possumus. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis; sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis; sed quibus paratum est à Patre meo.

(d) Et audientes decem indignati sunt de duobus fratribus, Jesus autem vocavit eos ad se, & ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos. Sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister; & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus: sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.

(e) Et egredientibus illis ab Hierico, secuta est eum turba multa. Et ecce duo cæci sedentes secus viam audierunt quia Jesus transiret, & clamaverunt dicentes: Domine miserere nostri filii David. Turba autem increpabat eos ut tacerent. At illi magis clamabant dicentes: Domine miserere nostri filii David. Et stetit Jesus, & vocavit eos, & ait: Quid vultis ut faciam vobis? Dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi nostri. Miseratus autem eorum Jesus, tetigit oculos eorum. Et confestim viderunt, & secuti sunt eum.

(a) **R**emigius. Quia dixerat Dominus, *Multi erunt primi novissimi, & novissimi primi*, ut hanc sententiam confirmaret, subiunxit similitudinem, dicens: *Simile est regnum cælorum patrifamilias. Chrysolomus* super Matth. (hom. 34. in oper. imperf.) Homo paterfamilias Christus est, cui cæli, & terra, quasi una est domus; familia autem cælestium, & terrestrium, & inferiorum creaturarum. Vineam autem ejus justitia est, in qua diversæ species justitiarum positæ sunt quasi vites: puta, mansuetudo, castitas, patientia, ceteraque virtutes; quæ omnes generaliter justitia appellantur. Homines autem vineæ cultores ponuntur: unde dicitur: *Qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Deus enim justitiam suam dedit in sensibus nostris, non propter suam utilitatem, sed propter nostram. Scitote ergo quia mercenarii sumus conducti. Sicut ergo nemo ideo conducit mercenarium, ut hoc solum faciat quod manducat; sic & nos non ideo vocati sumus à Christo ut hæc solum operemur quæ ad nostrum pertinent usum, sed ad gloriam Dei: & sicut mercenarius prius aspexit opus suum, deinde quotidianum cibum; sic & nos primum debemus aspiciere quæ ad gloriam Dei pertinent, deinde quæ ad nostram utilitatem: & sicut mercenarius totam diem circa domini opus impendit, unam autem horam circa suum cibum; sic & nos omne tem-*

pus vite nostræ debemus impendere circa gloriam Dei, modicam autem partem circa usus nostros terrenos. Et sicut mercenarius ea die qua opus non fecerit, erubescit intrare in domum, & petere panem; quomodo tu non confunderis intrare in Ecclesiam, & stare ante conspectum Dei, quando nihil bonum in conspectu Dei gessisti? *Gregorius* in hom. 19. in Evang. Vel paterfamilias, idest conditor noster, habet vineam, universam scilicet Ecclesiam, quæ ab Abel justo usque ad ultimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit. Ad erudiendam autem Dominus plebem suam, quasi ad excolendam vineam suam, nullo tempore destitit operarios mittere: quia & prius per Patres, & postmodum per legis doctores, deinde per Prophetas, ad extremum vero per Apostolos, quasi per operarios in vineam cultum laboravit; quamvis in quolibet modulo, vel mensura quisquis cum fide recta bonæ actionis extitit, hujus vineæ operarius fuit. *Origenes* (tract. 10.) Totum autem hoc sæculum præsens, unum diem dicere possumus, magnum quidem quantum ad nos, modicum autem quantum ad Dei vitam. *Gregorius* in hom. 19. in Evang. Magis autem mundi fuit ætas ab Adam usque ad Noe; & ideo dicitur: *Qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Et modum conductionis subiungit dicens: Conventionem autem*



facta cum operariis ex denario diurno. *Origenes* (tract. 10.) Salutis autem arbitror nomen esse denarium. *Remigius*, Denarius enim dicitur qui antiquitus pro decem nummis imputabatur, & figuram Regis habet. Recte ergo per denarium designatur observati decalogi præmium. Pulchre ergo dicit: *Conventione facta ex denario diurno*: quia unusquisque in agro sanctæ Ecclesiæ pro sepe futuræ remunerationis laborat. *Gregorius* (ibidem.) Tertia vero hora à Noe fuit usque ad Abraham; de qua dicitur: *Et egressus circa horam tertiam vidit alios in foro stantes otiosos*. *Origenes* (tract. 10.) Forum autem est quicquid est extra vineam, id est extra Ecclesiam Christi. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 34. in op. imperf.) In hoc enim mundo vendendo, & emendo vivunt homines, & invicem sibi fraudem facientes, vitam suam sustentant. *Gregorius* (hom. 19.) Qui autem sibi vitæ, qui carnis suæ voluptatibus pascitur, recte otiosus arguitur: quia fructum divini operis non sectatur. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 34. in op. imperf.) Vel otiosi sunt peccatores, illi enim mortui dicuntur. Otiosus autem est qui opus Dei non operatur. *Vis ergo non esse otiosus? Non aliena tollas, & de tuis des; & operatus es in vinea Domini, misericordiam vitæ colens*. Sequitur: *Et dixit illis: Ite & vos in vineam meam*. Nota, quod solis primis convenit specialiter dare denarium; alios autem sub incerto pacto conduxit, dicens: *Quod justum fuerit dabo vobis*. Sciens enim Dominus quia prevaricaturus fuerat Adam, & omnes postmodum in diluvio erant perituri, certum fecit pactum ad eum, ne quando dicat, ideo se neglexisse iustitiam, quia nesciebat quæ præmia fuerat recepturus. Illis autem non fecit pactum, quia tantum paratus est retribuere quantum mercenarii recipere non sperabant. *Origenes* (Matth. 20. tract. 10.) Vel (1) operarios tertia horæ non invitavit ad totum opus; quicquid autem poterant operari, suo arbitrio servavit. Poterant enim æquale opus facere in vinea ejus qui ex mane sunt operati, quicumque in tempore brevi volebant operantem virtutem ad opus extendere, quæ ante non fuerat operata. *Gregorius* (hom. 19.) Sexta quoque hora est ab Abraham usque ad Moysen; nona est à Moysè usque ad adventum Domini: unde sequitur: *Iterum autem exiit circa sextam, & nonam horam, & fecit similiter*. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 34. in op. imperf.) Ideo autem conjunxit sextam, & nonam, quia in

sexta, & nona generationem vocavit Judæorum, & frequentavit cum hominibus disponere testamenta, quasi diffinito salutis omnium tempore jam appropinquante. *Gregorius* (hom. 19.) Undecima vero hora est ab adventu Domini usque ad finem mundi. Operator ergo mane, hora tertia, sexta, & nona, antiquus ille & Hebraicus populus designatur, qui in electis suis ab ipso mundi exordio, dum recta fide Deum studuit colere, quasi non desistit in vinea cultura laborare; ad undecimam vero Gentiles vocantur: Unde sequitur: *Circa undecimam vero exiit, & invenit alios stantes, & dixit illis: Quid hic statis tota die otiosi?* Qui enim tranfacto tam longo mundi tempore pro vita sua laborare neglexerant, quasi tota die otiosi stabant. Sed pensate quid inquisiti respondeant: sequitur enim: *Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit: nullus quippe ad eos Patriarcha, nullus Propheta ad eos venerat. Et quid est dicere, Nemo nos conduxit, nisi vitæ nobis nemo viam prædicavit?* *Chrysostomus* super Matth. (hom. 34. in op. imperf.) Quæ est enim conductio nostra, & conductionis merces? Promissio vitæ æternæ: Gentes enim solæ neque Deum sciebant, neque Dei promissa. *Hilarius* (can. 20. super Matth.) Hi igitur mittuntur ad vineam: unde sequitur: *Dixit eis: Ite & vos in vineam meam*. *Rabbanus* (super *Cum sero esset*). Postquam autem operis (2) diurni ratio reddita est, ad remunerationis tempus opportunum, dicit: *Cum autem sero factum esset*; hoc est, cum dies totius mundi ad vesperam consummationis inclinata esset. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 34. in op. imperf.) Considera, quia sero, non alio mane mercedem reddit; ergo adhuc stante sæculo isto iudicium est futurum, & unicuique merces sua reddenda: & hoc propter duas rationes. Prima est, quia ipsa beatitudo futura est merces iustitiæ; ideo non in illo sæculo fit iudicium, sed ante illud. Deinde autem adventum diei illius præmittitur iudicium, ne videant peccatores diei illius beatitudinem. Sequitur: *Dicit Dominus procuratori suo*; id est, Filii Spiritui Sancto. *Glossa*. (a) Vel si volueris, dicit Pater Filio; qui scilicet Pater operatur per Filium, & Filius per Spiritum Sanctum, non propter aliquam differentiam substantiæ, aut dignitatis. *Origenes* (Matth. 20. tract. 10.) Vel dicit Dominus procuratori suo, id est alicui Angelorum, qui super mercedes retribuendas est positus, sive alicui ex multis procuratoribus, secundum quod scriptum est Galat. 4. sub curatoribus, & tutori-

(1) *Al.* Vel quia operarios &c. item Vel quia per operarios. (2) *Al.* divini.  
EX EDIT. P. NICOL. (a) Nihil tale in Glossa collateralis, sed aliquid simile Glossa interlinealis his verbis: *Pater Filio, cui omnia edit in manus*: nec aliud etiam in Anselmo.

ribus esse heredem in tempore quo parvulus est. *Remigius*. Vel Dominus Jesus Christus ipse est paterfamilias, & vineæ procurator, sicut & ipse est & ostium, & ostiarius. Ipse enim est venturus ad iudicium, ut unicuique reddat, secundum quod gessit. Vocat ergo operarios, & reddit illis mercedem, quando omnes congregabuntur in iudicio, ut unusquisque accipiat secundum opera sua. *Origenes* (ubi supra à med.) Primi autem operarii testimonium habentes per fidem, non acceperunt Dei promissionem, pro nobis aliquid melius prospiciente paterfamilias, ut non sine nobis perficiantur. Et quia misericordiam consecuti sumus, primi mercedem speramus accipere, qui sumus Christi, post nos autem qui ante nos operati sunt: & ideo dicitur: *Voca operarios, & redde illis mercedem suam, incipiens à novissimis usque ad primos*. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 34. in op. imperf.) Semper enim libentius aliquid damus illis quibus gratis donamus, quia pro solo nostro honore donamus. Ergo omnibus sanctis Deus reddens mercedem, iustus ostenditur; Gentibus autem dans, misericors, dicente Apostolo Rom. 15., Gentes autem super misericordiam honorare Deum. Et ideo dicitur: *Incipiens à novissimis usque ad primos*. Aut certe ut ostendat Deus inestimabilem misericordiam suam, primum novissimis, & indignioribus reddit mercedem, postea primis: nimia enim misericordia ordinem non apexit. *Augustinus* de Spiritu, & Littera (cap. 24.) Vel ideo velut priores reperiuntur minores, (1) quia minores ditati sunt.

Sequitur: *Cum venissent autem qui circa undecimam horam venerant &c.* *Gregorius* (hom. 29. in Evang.) Eundem denarium accipiunt, qui laboraverunt ad undecimam (quem expectaverunt toto desiderio) & qui laboraverunt ad primam: quia æqualem vitæ æternæ retributionem sortiti sunt cum his qui ab initio mundi vocati fuerant, hi qui in fine mundi ad Deum venerunt. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 34. in op. imperf.) Non autem iniuste: nam & qui in prima parte sæculi natus est, non amplius vixit quam statutum tempus vitæ suæ; & quid illi nocuit, si post illius exitum mundus stetit? Et qui circa finem nascuntur, non minus vivent quam dies qui numerati sunt eis; & quid illis prodest ad compendium laboris, si cito mundus finitur, cum pensum vitæ suæ compleant ante mundum? Deinde non est in homine quando nascatur prius, ut postea; sed potestatis divinæ. Nec ille quidem sibi priorem debet locum defendere qui prius natus est, nec

ille contemptibilior debet esse qui postea. Sequitur: *Et accipientes murmurabant adversus patremfamilias, dicentes*. Si autem verum est quod diximus, quia primi, & posteriores tempus suum vixerunt, & non amplius, neque minus; & unicuique mors sua est consummatio ipsius: quid est quod dicunt, *Portavimus pondus diei, & æstus?* Quia scilicet magna est nobis virtus ad faciendam iustitiam, cognoscere prope esse finem mundi. Unde & Christus non amans, dicebat supra 4. *Appropinquavit regnum cælorum*. Illis autem infirmatio erat. Scire mundi spatia esse longinqua. Quamvis ergo non per omne sæculum vixerit, tamen totius sæculi gravamina pertulisse videntur. Aut pondus totius diei dicit onerosa legis mandata, æstum autem urentem erroris tentationem quam constabant spiritus maligni in eos, ad æmulationem Gentium eos irritantes: à quibus omnibus Gentiles liberi exiterunt, Christo credentes, & per compendium gratiæ ad plenum salvati. *Gregorius* (hom. 19. in Evang.) Vel pondus diei, & æstus ferre, est per longioris vitæ tempora carnis suæ calore fatigari. Sed potest queri: Quomodo murmurare dicti sunt, qui ad regnum vocantur (2) cælorum? Etenim regnum nullus qui murmurat accipit, nullus qui accipit, murmurare potest. *Chrysostomus* in hom. (65. circa med.) Non autem oportet ea quæ in parabolis sunt, secundum totum quod dicitur, investigare; sed intentionem, propter quam composita est, intelligere, & nihil ultra scrutari. Non ergo inducit hoc, ut ostendat aliquos esse invidia morfos, sed ut ostendat hos tanto potius esse honore quod & invidiam aliis poterant generare. *Gregorius* (hom. 19. par. ante med.) Vel quia antiqui patres usque ad adventum Domini, quantumlibet iuste vixerint, ducti ad regnum non sunt, eorum hoc ipsum murmurasse est. Nos autem qui ad undecimam venimus, post laborem non murmuramus: quia post mediatoris adventum in hoc mundo venientes, ad regnum ducimur mox ut de corpore eximus. *Hieronymus* (super *Non facio tibi injuriam*). Vel omnis retro vocatio Gentilibus invidet, & in Evangelii torqueatur gratia. *Hilarius* (can. 20. circ. med.) Et secundum insolentiam populi jam sub Moysè contumacis hoc murmur operantium est.

Sequitur: *At ille respondens uni eorum dixit: Amice, non facio tibi injuriam*. *Remigius*. Per hunc unum possunt intelligi omnes qui ex Judæis crediderunt; quos amicos propter fidem nominat. *Chrysostomus* (hom. 34. in op. imp.) Non autem dolebant quasi defraudati de mercede sua, sed quia illi amplius quam merebantur, acce-

(1) *Al.* quia minus ditati, item quia minus ditati. (2) *Al.* illud cælorum.



acceperant. Sic enim dolent invidi quando alteri aliquid additur, quasi eis subtrahatur. Ex quo patet quod ex vana gloria nascitur invidia. Ideo enim dolet esse secundus, quia desiderat esse prior; & ideo invidiæ motum removet, dicens: *Nonne ex denario convenisti mecum? Hieronymus* (super *Notiæ ex denario convenisti?*) Denarius figuram Regis habet. Receperunt ergo mercedem quam tibi promiseram, hoc est imaginem & similitudinem meam: quid quaeris amplius; & non tam ipse plus accipere, quam aliam nihil accipere desideras?

*Tolle quod tuum est, & vade. Remigius.* Id est, recipe mercedem tuam, & vade in gloriam. *Volo autem & huic novissimo*, id est gentili populo, dare, secundum meritum, sicut & tibi. *Origenes* (Matth. 20. tract. 10.) Forfitan autem Adæ dicit: *Amice, non facio tibi injuriam. Nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est, & vade.* Tuum est salus, quod est denarius. *Volo autem & huic novissimo dare, sicut & tibi.* Non incredibiliter potest quis arbitrari, hunc novissimum esse Apostolum Paulum, qui una hora operatus est, (1) & similiter omnes qui ante eum fuerunt. *Augustinus* de sancta Virg. (cap. 24. in fine.) Quia vero ipsa vita æterna pariter erit omnibus sanctis æqualis, denarius omnibus est attributus, qui est omnium merces; quia vero in ipsa vita æterna distincte fulgebunt lumina meritorum, multæ mansiones sunt apud Patrem; ac in denario quidem impari non videtur alius alio prolixius; in multis autem mansionibus honoratur alius alio clarius. *Gregorius* (hom. 19. in Evang.) Et quia ipsa regni perceptio, ejus est bonitas voluntatis, recte subjungitur: *Aut non licet mihi quod volo facere?* (2) Stulta enim est questio hominis contra bonitatem Dei murmurare. Conquerendum quippe esset, non si dat quod non debet, sed si non daret quod deberet: unde aperte subditur: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Remigius.* Per oculum enim vult intentionem intelligi. Judæi namque nequam habuerunt oculum, id est intentionem malam, quia de salute Gentium dolebant: ad quid autem sensus hujus parabola tendat, manifestat cum subditur: *Sic erunt primi novissimi, & novissimi primi: eo scilicet quod Judæi de capite vertantur in caudam, & nos de cauda mutamur in caput. Chrysostomus* super Matth. (hom. 34. in oper. imperf.) Aut ideo primos dicit novissimos, & novissimos primos, non ut novissimi digniores sint quam primi, sed ut corquentur, & nulla sit inter eos differentia temporis causa. Quod au-

(1) P. Nicolai ex Origene legit & sorte super omnes qui ante eum fuerunt. (2) Al. Soluta. (3) Al. insipientes. P. Nicolai habet qui spiritu incipientes carne consumantur.

tem dicit, *Multi sunt vocati, pauci vero electi*, non ad superiores sanctos pertinet, sed ad Gentem: quoniam ex ipsis Gentibus, qui multi vocati sunt, pauci sunt eligendi. *Gregorius* (hom. 19.) Ad fidem enim plures veniunt, & ad caeleste regnum pauci perducuntur: plerique enim Deum vocibus sequuntur, moribus fugiunt. Ex hoc ergo duo pensare debemus. Primum est ut de se quisque minime presumat: quia etsi jam ad fidem vocatus est, utrum ad regnum eligendus sit, nescit. Secundum vero est ut unusquisque proximum suum quem jacere in vitiis conspiciat, desperare non audeat: quia divina misericordiae divitias ignorat. Vel aliter. Mane nostrum pueritia est; hora tertia, adolescentia intelligi potest, quia quasi jam sol in altum proficit dum calor ætatis crescit; sexta autem, juvenus est, quia velut in centro sol figurat dum in ea plenitudo roboris solidatur; nona autem, senectus intelligitur, in qua velut sol ab alto axe descendit, quia ætas a calore juventutis deficit; undecima vero est ea ætas quæ decrepita, vel veterana vocatur. *Chrysostomus* in hom. 65. Quod autem non omnes simul conduxit, sed alios mane, alios hora tertia, & sic de aliis; ex differentia mentis eorum processit. Tunc enim eos vocavit quando erant obedituri: nam & latronem vocavit quando obediturus erat. Si autem dicant, *Quia nemo nos conduxit, sicut dictum est*, non oportet omnia scrutari quæ in parabolis sunt. Item hoc non dicit dominus, sed operari: quod ipse enim omnes quantum ad se pertinet à prima ætate vocet, significatur cum dicitur: *Exiit primo mane operarios conducere. Gregorius* (hom. 19.) Qui ergo usque ad ultimam ætatem Deo vivere neglexerunt, usque ad horam undecimam otiosi steterunt; & tamen tales paterfamilias vocat, & plerumque ante remunerantur: quia prius ad regnum de corpore exeunt quam hi qui modo in pueritia vocati esse videbantur. *Origenes* (Matth. 20. tract. 10.) Non autem dicitur, *Quid hic statis tota die otiosi?* his qui spiritu (3) incipientes, carne consumuntur, si postea regredi volunt, ut iterum spiritu vivant: quod non dicimus dissuadentes, ne ad domum paternam revertantur lascivi filii, qui vivendo luxuriose evangelicæ doctrinæ substantiam consumpserunt; sed quoniam non similes sunt eis qui peccaverunt in juventute sua, dum non adhuc didicissent quæ fidei erant. *Chrysostomus* in hom. 65. à med. Quod autem dicit, *Erunt primi novissimi, & novissimi primi*, eos occulte insinuat qui à principio claruerunt, & postea virtutem

contempserunt; & rursus eos qui à malitia reducti sunt, & multos superexcesserunt. Composita est ergo hæc parabola, ut eos avidiores faceret qui in ultima senectute convertantur, ne æstimarent se minus aliquid habituros.

(b) *Chrysostomus* in hom. 66. Dominus à Galilæa veniens, non repente Hierosolymam ascendit, sed prius miracula fecit, phariseos confutavit, & discipulos de vitæ perfectione, & remuneratione instruxit; nunc jam ascensurus Hierusalem, rursus eis de passione loquitur: unde dicitur: *Et ascendens Jesus Hierosolymam, assumpsit duodecim discipulos secreto. Origenes* (tract. 11.) In duodecim adhuc erat & Judas: adhuc enim forsitan dignus erat cum aliis seorsum audire quæ passurus erat magister. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 35. in oper. imperf.) Omnis autem salus hominum in Christi morte posita est, nec est aliquid propter quod magis Deo gratias agere debeamus quam propter mortem ipsius. Ideo duodecim Apostolis in secreto mortis suæ annuntiavit mysterium: quia semper pretiosior thesaurus in melioribus vasis includitur. Si autem alii audissent passionem Christi futuram, viri forsitan turbarentur propter infirmitatem fidei, & mulieres propter molliem suæ naturæ, ex qua in tali negotio ad lacrymas excitantur. *Chrysostomus* in hom. 66. Dicitur quidem, & ad multos, tamen occulte sicut ibi (Joan. 2.) „Solvite templum, hoc:“ & supra 12. *Signum non dabitur ei nisi signum Jona Propheta.* Discipulis autem manifeste exposuit dicens: *Ecce ascendimus Hierosolymam. Chrysostomus* super Matth. (hom. 35. oper. imperf.) Quod dicit, *Ecce ascendimus*, sermo est, ut memoriam præsentis hujus in cordibus recondant. Dicit autem, *Ascendimus*; ac si dicat: Videte quia voluntarie vado ad mortem. Cum ergo videritis me in cruce pendentem, ne æstimetis me hominem esse tantum: nam etsi posse mori, hominis est; velle tamen mori, hominis non est. *Origenes* (tract. 11.) Hoc igitur considerantes scire debemus quoniam frequenter, etiam cognoscentes quoniam & tentationes aliquas subituri sumus, nos ipsos offerre debemus. (2) Sed supra 10. dictum est: *Si quis vos persecutus fuerit in una civitate, fugite in aliam: sapientis in Christo est ut cognoscat quale tempus exigit declinationem, quale autem obviationem periculorum. Hieronymus* (super *Ascendimus Hierosolymam.*) Crebro au-

tem de passione sua discipulis dixerat; sed quia multis in medio (3) disputationis poterat labi de memoria quod audierant, iturus Hierosolymam, & secum ducturus Apostolos, ad tentationem eos parat, ne cum (4) venerit persecutio, & crucis ignominia, scandalizentur. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 35. in oper. imperf.) Tribulatio enim cum supervenerit expectantibus nobis, levior invenitur quam esset futura, si repentina venisset. *Chrysostomus* in hom. 66. Prædicat etiam eis, ut discant quoniam (5) præcius ad passionem venit, & volens. Sed à principio quidem mortem prædixit eis solam; quando autem exercitati sunt, adducit alia, scilicet quoniam tradent eum Gentibus. *Rabbanus* (super *Tradent eum Gentibus.*) Tradidit enim Judas Dominum Judæis, & ipsi tradiderunt eum Gentibus, id est Pilato, & potestati Romanorum. Ideo autem Dominus in mundo noluit prosperari, sed gravia pati, ut ostenderet nobis, qui per delectationem cecidimus, cum qua amaritudine redire debeamus: unde sequitur: *Ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum. Augustinus* 18. de Civitate Dei (cap. 49.) Passione ostendit quid sustinere pro veritate, resurrectione quid sperare (6) in Trinitate debeamus: unde dicitur: *Et tertia die resurget. Chrysostomus* in hom. 66. Quæ quidem hujus gratia dixit, ut cum (7) tristitia viderint, resurrectionem spectarent: unde subdit: *Et tertia die resurget. Augustinus* 4. de Trinitate (cap. 3.) Una enim mors, scilicet Salvatoris secundum corpus, & duabus mortibus nostris saluti fuit, scilicet animæ, & corporis; & una ejus resurrectio duas nobis resurrectiones præstitit. Hæc autem ratio (8) simpliciter ad duplum, oritur quidem à ternario numero, unum quippe & duo tria sunt. *Origenes* (tract. 11.) Hic autem non referuntur discipuli dixisse, aut fecisse aliquid, cum audissent tristitia hæc Christo futura, recordantes quæ Dominus dixit ad Petrum, ne audiant talia, vel pejora. Et nunc quidem qui divinas litteras scire se arbitrantur scribæ condemnant Jesum morte, & in linguis suis flagellant, & crucifigunt eum per hoc quod tollere volunt doctrinam ipsius; ille autem paululum deficiens, surgit apparens his qui acceperunt posse videre.

(c) *Hieronymus* (hoc loco.) Quia post omnia dixerat Dominus, *Et tertia die resurget*, putavit mulier post resurrectionem (9) illico regnaturum, & aviditate sceminea præsentia cupit, immemor futurorum: unde dicitur: *Tunc ac-*

H 4

(1) P. Nicolai legit contestantis est sermo, ut memoriam præsentis hujusmodi &c. (2) Idem habet Sed quoniam supra &c. (3) Al. disputans. Apud P. Nicolajum est disputaris. (4) Al. veniat. (5) Al. præsciens. (6) P. Nicolai in æternitate. (7) Al. tristitia. (8) Al. simplici. (9) Al. eum.



cessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis. *Chrysofomus* super Matth. (hom. 35. in oper. imperf.) Hæc mater filiorum Zebedæi est Salome, cuius apud alterum Evangelistam ponitur nomen, vere pacifica, quæ vere filios genuit pacis. Magna laus mulieris ex hoc loco colligitur, quia non solum filii reliquerunt patrem; sed ipsa reliquerat virum suum, & secuta fuerat Christum: quia ille sine ista vivere poterat; ista autem sine Christo salva esse non poterat: nisi forte quis dicat, quia infra tempus vocationis Apostolorum, & passionis Christi, mortuus est Zebedæus; & sic illa sexu fragilis, ætate defecta, Christi vestigia sequebatur: quia fides numquam senescit, & religio fatigatione non sentit. Audacem autem fecerat eam ad petendum naturæ affectus: unde dicitur: *Adorans, & petens, aliquid ab eo*; ideit, reverentia exhibita petit, ut quod petierit sibi detur. Sequitur: *Qui dixit ei, Quid vis?* Non interrogat quasi nesciens, sed ut illa exponente, manifestum faceret irrationabilem esse petitionem: unde subditur: *At illi: Dic ut sedeant hi duo filii.* *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 66.) Quod autem hi per matrem dictum esse Mathæus expressit, Marcus ipsos filios Zebedæi perhibet dixisse, cum illa illorum voluntatem attulisset ad Dominum: unde magis ipsos quam illam dixisse quod dictum est, Marcus breviter intinavit. *Chrysofomus* in hom. 66. Videbant enim seipsos honoratos præ aliis, & audierant quod super duodecim thronos sedebitis: unde primatum ipsius cathedræ petebant accipere. Et quod quidem plus alii honoris apud Christum habebant, noverant; timebant vero Petrum sibi præferri: unde & alius Evangelista dicit, quod quia prope erant Hierusalem, putabant quod regnum Dei esset in januis, idest aliquid sensibile. Unde manifestum est quod nihil spirituale petebant, nec intelligentiam superioris regni habebant. *Origenes* (tract. 12.) (1) Si enim in regno mundi in honore esse videntur qui sedent cum Rege; non fuit mirum si mulier muliebri simplicitate, vel imperitia talia se debere petere æstimavit, & ipsi fratres adhuc imperfecti, & nihil altius cogitantes de regno Christi, talia arbitrati sunt de his qui sedebunt cum Jesu. *Chrysofomus* super Matth. (hom. 25. in oper. imperf.) Vel aliter. Non dicimus, quod recte peteret hæc mulier; sed hoc dicimus, quia non terrena, sed cælestia filiis suis optabat: non enim sentit sicut ceteræ matres, quæ corporatorum suorum amant, animas autem contemnant; desiderant illos valere in sæculo isto, & non curant quid sint passuri in illo, ut ostendunt

(1) *Al.* Sicut enim. (2) *Al.* eminentiam Christi in hominibus, Christum recipit. (3) *Al.* mittitur non.

dant quia corporum sunt parentes, non animarum. Eadem autem quod hi fratres cum audissent Dominum de passione, ac resurrectione sua prophetantem, cœperunt dicere intra se, cum essent fideles: Ecce Rex cælestis descendit ad regna tartarea, ut Regem mortis destruat. Cum autem victoria fuerit consummata, quid aliud restat nisi ut regni gloria subsequatur? *Origenes* (tract. 12.) Destruo enim peccato, quod regnabat in corporibus mortalibus hominum, & omni principatu malignarum virtutum, (2) eminentiam regni in hominibus Christus recipit; quod est ipsum sedere in sede gloriæ suæ. Quod autem omnia Deus facit ad dexteram, & sinistram, hoc est ut jam nullum malum sit ante eum: & qui quidem præcellunt præ ceteris appropinquantibus Christo, sunt à dextris ejus; qui autem inferiores sunt à sinistris sunt ejus. Dextram autem Christi vide si potes intelligere invisibilem creaturam; sinistram autem visibilem, & corporalem. Appropinquantium enim Christo quidam dexteram sortiuntur, ut intelligibilia; alii sinistram, ut sensibilia. *Chrysofomus* super Matth. (hom. 35. in oper. imperf.) Qui autem seipsum donavit hominibus, quomodo regni sui societatem non donabit? Petentis negligentia reprehenditur, ubi de dantis misericordia (3) non dubitatur. Si nos rogamus magistrum, forsitan ceterorum fratrum corda concutimus: etsi enim vinci à carne non possunt, quasi jam spirituales; tamen percuti possunt, quasi adhuc carnales. Ergo submittamus matrem nostram, ut tuo nomine deprecetur pro nobis. Si enim reprehensibilis inventa fuerit, facile merebitur vineam: ipse enim sexus excusat errorem. Si autem non fuerit importuna, facilius imprecatur mater pro filiis suis rogans. Ipse enim Dominus, qui maternos animos filiorum miseratione implevit, facilius audiet maternum affectum. Tunc Dominus occulorum cognitor non ad verba intercedentis mulieris respondit, sed ad consilia suggerentium filiorum. Bonum quidem erat eorum desiderium, sed inconsiderata petitio: ideo etsi impetrare non debebant, simplicitas tamen petitionis eorum confundi non merebatur, quia de amore Domini talis petitio nascebatur: propterea ignorantiam in eis Dominus reprehendit: unde sequitur: *Respondens autem Jesus dixit: Nescitis quid petatis.* *Hieronymus* (super *Tunc accessit ad eum.*) Nec mirum si ista arguatur imperitia, cum & de Petro dicatur Luc. 9., *Nesciens quid diceret.* *Chrysofomus* super Matth. (ubi supra.) Nam frequenter Dominus patitur discipulos suos aliquid non recte aut dicere, aut agere, aut cogitare,

tate, ut ex illorum culpa occasionem inveniat exponendi regulam pietatis; sciens quia errorum non nocet præsentem magistrum, & non solum in præsentem, sed etiam in futuro doctrina ejus edificat. *Chrysofomus* super Matth. (a) (ibidem.) Hoc autem dicit ostendens quod vel nihil spirituale petebant; vel si novissent quod petebant, non ausi fuissent tantum quid petere, quod superexcedit superiores virtutes. *Hilarius* (can. 20.) Nesciunt etiam quid petant, quia nihil de gloria Apostolorum ambigendum erat: judicaturus enim eos sermo superior exposuit. *Chrysofomus* super Matth. (hom. 35. in oper. imperf.) Vel nescitis quid petatis; quasi dicat: Ego vos vocavi ad partem dexteram de sinistra, & vos vestro consilio curritis ad sinistram. Ideo forsitan per mulierem res agebatur. Contulit enim se diabolus ad consueta arma mulierum, ut sicut Adam per mulierem spoliavit, ita & istos separaret per matrem. Sed jam non poterat per mulierem perditio introire in sanctos, ex quo de muliere salus cunctorum processit. Vel ideo dicit, *Nescitis quid petatis*: non enim solum debemus cogitare qualem gloriam (1) consequamur, sed quomodo evadamus ruinam peccati: quia & in sæculari bello, qui semper de præda victoriæ cogitat, difficile vincit: ideo petendum (2) erat: Da nobis auxilium gratiæ tuæ, ut omne malum vincamus. *Rabbanus* (super *Nescitis quid petatis.*) Nesciebant etiam quid peterent: quia sedem gloriæ à Domino, quam nondum merebantur, inquirunt. Delectabat eos calmen honoris: sed prius habebant exercere viam laboris: unde subdit: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* *Hieronymus* (super *Potestis bibere calicem.*) Calicem in Scripturis divinis passionem intelligimus, ut in Psalmo 115., *Calicem salutaris, accipiam: statimque inferet quis iste sit calix: Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* *Chrysofomus* super Matth. (hom. 35. in oper. imperf.) Sciebant autem Dominus quia passionem ipsius poterant imitari; sed ideo interrogat, ut omnes adjuvamus, quia nemo potest cum Christo regnare, nisi passionem Christi fuerit imitatus: res enim pretiosa non nisi pretioso pretio comparatur. Passionem autem Domini dicimus non solum persecutionem gentiliam, sed omnem violentiam quam patimur contra peccata certantes. *Chrysofomus* in hom. 66. Dicit ergo, *Potestis bibere?* ac si dicat: Vos mihi de honore, & coronis loquimini; ego autem vobis de agonibus, & sudoribus: non

enim hoc est præriorum tempus. Ex modo autem interrogationis eos attrahit: non enim dixit: *Potestis sanguinem vestrum effundere?* sed *Potestis bibere calicem?* Deinde addit: *Quem ego bibiturus sum. Remigius.* Ut ex communione ad ipsam avidiores fiant. (b) At illi qui jam martyrii libertatem constantiamque retinebant, bibituros se pollicentur: unde sequitur: *Dicunt ei, Possimus.* *Chrysofomus* super Matth. (hom. 35. in oper. imperf.) Vel dicunt hoc non tam ex fiducia suæ fortitudinis quam ex ignorantia: inexpertis enim levis videtur esset tentatio passionis, & mortis. *Chrysofomus* in hom. 66. Vel hoc ex desiderio promittunt. Neque enim hoc dixissent, nisi expectassent audire quod petebant. Dominus autem eis propheta magna bona, idest martyrio dignos efficiendos.

Sequitur: *At illis: Calicem quidem meum bibetis.* *Origenes* (Matth. 20. tract. 12.) Non ita respondit Christus: Calicem meum bibere potestis; sed ad futuram eorum perfectionem respiciens, dixit: *Calicem quidem meum bibetis.* *Hieronymus* (super *Calicem meum bibetis.*) Queritur autem quomodo calicem martyrii filii Zebedæi, Jacobus videlicet, & Joannes, biberint; cum Scriptura narret Jacobum tantum Apostolum ab Herode capite truncatum; Joannes autem propria morte vitam finierit. Sed si legimus in ecclesiastica Historia, quod ipse Joannes propter martyrium sit missus in ferrentis olei dolium, & relegatus in Patmos insulam sit; videbimus martyrio animum non desuisse, & bibisse Joannem calicem confessionis, quem & tres pueri in camino ignis biberunt, licet persecutor non fuderit sanguinem. *Hilarius* (can. 20.) Dominus ergo collaudans (3) eorum fidem ait, martyrio quidem eos secum compati posse; sed lævæ ejus, ac dexteræ assistere aliis à Deo Patre fuisse dispositum: unde sequitur: *Sedere autem ad dexteram meam &c.* Et quidem, quantum arbitramur, ita honor iste aliis est reservatus, quod tamen nec Apostoli ab eo erunt alieni, qui in duodecim Patriarcharum sede consistentes, Israellem judicabunt; & quantum sentire ex ipsis Evangelis licet, in regno cælorum Moyses, & Elias assistebunt; quibus comitantibus, cum gloriæ suæ habitu in monte apparuit. *Hieronymus* (ubi supra.) Sed mihi hoc nequaquam videtur; sed ideo sedentium in regno cælorum vocabula non dicuntur, ne paucis nominatis ceteri putarentur exclusi: regnum enim cælorum non est tantum

(1) *Al.* sequemur, item consequimur. (2) *Al.* erit. (3) *Al.* coram fidei.  
EX EDIT. P. NICOL. (a) Hom. 66. ut supra. (b) *Hilarius* can. 20. ut supra, omisso indice præcedente Remigii.



tum dantis, sed accipientis. Non enim est personarum acceptio apud Deum; sed quicumque talem se præbuerit ut Regno Cælorum dignus fiat, hoc accipiet, quod non personæ, sed vitæ paratum est. Si itaque tales estis qui consequamini Regnum Cælorum, quod Pater meus victoribus præparavit; vos quoque accipietis illud. Ideo tamen non dixit neque Non sedebitis, ne duos confunderet: neque Sedebitis, ne ceteros irritaret. *Chrysoströmus* in hom. 66. Vel aliter. Videtur (1) inuis omnibus esse locus ille non solum hominibus, sed etiam Angelis: sic enim præcipuum Unigeniti ponit id Paulus dicens Hebr. 1. „ Ad quem autem Angelorum dixit „ umquam: Sede à dextris meis? „ Dominus ergo non quasi existentibus quibusdam qui assessuri sunt, sed condescendens interrogantium suspicioni respondit. Hoc enim unum solum quærebant præ aliis stare apud ipsum; sed Dominus respondet: Moriemi quidem propter me, non tamen hoc sufficit vos facere primum ordinem obtinere. Si enim aliquis alius venerit cum martyrio, ampliorem virtutem possidens, non quia vos amo, illum expellam, & vobis dabo primatum. Propter hoc autem ut non (2) infirmus ipse ostendatur, non dixit simpliciter, Non est meum dare, sed *Non est meum vobis dare, sed quibus paratum est*; his scilicet qui ab operibus possunt fieri clari. *Remigius*. Vel aliter. *Non est meum dare vobis*, idest superbis talibus quales vos estis, sed humilibus corde, quibus paratum est à Patre meo. *Augustinus* de Trinit. (cap. 12.) Vel aliter. Secundum formam servi discipulis Dominus respondet: *Sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis*. Quod autem paratum est à Patre ejus, & ab ipso Filio est paratum, quia & ipse, & Pater unum sunt.

(d) *Chrysoströmus* in hom. 66. Donec Christi sententia incerta erat, non tristabantur alii discipuli; sed tunc tristati sunt quando eos increpavit: unde dicitur: *Et audientes decem indignati sunt de duobus fratribus.* (a) *Hieronymus* (super *Et audientes decem.*) Non ad mulieris audaciam referunt postulantis, sed ad filios, quod ignorantes mensuram suam, non modica cupiditate exarserunt. *Chrysoströmus* in hom. 66. Intellexerunt enim quia hæc petitio discipulorum fuit, quando eos Dominus increpavit. Quando autem eos à Domino præhonoratos viderunt in transfiguratione, etsi secundum mentem dolebant, in medium efferre non audebant, (3) honorantes doctorem. *Chrysoströmus* super Matth. (hom. 35. in oper. imperf.) Si-

(1) *Al. communis.* (2) *Al. infirmus esse.* (3) *Al. venerantes.* (4) *Al. corpus.*  
EX EDIT. P. NICOL. (a) *Hilarius.*

cut autem duo carnaliter petierunt; ita & decem carnaliter contristati sunt: nam velle quidem esse super omnes vituperabile est; suslinere autem alium super se minus est gloriosum. *Hieronymus* (ubi supra.) Humilis autem magister & mitis nec cupiditatis duos arguit postulantem, nec decem reliquos indignationis increpat, & livoris: unde sequitur: *Jesus autem vocavit eos ad se.* *Chrysoströmus* in hom. 66. Quia enim turbati erant, vocatione eos consolatur, de propinquo eis loquendo: etenim duo à societate decem seipfos separantes, propius stabant, seorsum Domino loquentes. *Origenes* tract. 12. Idest, non contenti tantum regere suos subjectos, sed violenter eis dominari nituntur. Inter vos autem, qui estis mei, non erunt hæc: quoniam sicut omnia carnalia in necessitate sunt posita, spiritalia autem in voluntate; sic & qui principes sunt spiritalia, principatus eorum in dilectione subditorum debet esse positus, non in timore corporali. *Chrysoströmus* in hom. 66. Ostendit autem in hoc, quod Gentilium est primatus cupere; & sic Gentium comparatione eorum animam æstantem convertit. *Chrysoströmus* super Matth. (hom. 35. in oper. imperf.) Et (4) opus quidem desiderare bonum, bonum est, quia nostræ voluntatis est, & nostræ est merces; primatum autem honoris concupiscere vanitas est: hoc enim consequi, iudicium Dei est: propter quod ex primatu honoris rescimus si mercedem iustitiæ mereamur. Neque enim Apostolus laudem habebit apud Deum, quia Apostolus fuit; sed si opus Apostolatus sui bene implevit: nec Apostolus pro merito suo antecedenti honoratus est, ut esset Apostolus; sed ad hoc ministerium aptus est iudicatus, secundum motum animæ suæ. Primatus etiam fugientem se desiderat, & desiderantem se horret. Conversatio ergo melior desideranda est, non dignior gradus. Volens ergo Dominus, duorum fratrum Zebedæi, & aliorum indignationem extinguere, introducit differentiam inter principes mundiales, & ecclesiasticos, ostendens quia primatus in Christo, nec ab aliquo appetendus est non habente, nec alteri invidendus est habenti: quia principes mundi ideo sunt ut dominantur minoribus suis, & eos servituti subjiciant, & expolient, & usque ad mortem eis utantur ad suam utilitatem, & gloriam; Principes autem Ecclesiæ fiunt, ut serviant minoribus suis, & ministrent eis quæcumque acce-

pe-

perunt à Christo, ut suas utilitates negligant, & illorum procurent, & mori non recusent pro salute inferiorum. Primatum ergo Ecclesiæ concupiscere neque iustum est, neque utile. Nullus sapiens vult ultra se subicere servituti, & periculo tali, ut det rationem pro omni Ecclesiæ; nisi forte qui non timet Dei iudicium, abutens primatu suo ecclesiastico sæculariter, ita ut convertat illum in secularem. *Hieronymus* (super *Sciitis quia principes.*) Denique sui proponit exemplum, ut si dicta parvipenderent, erubescerent ad opera: unde subdit: *Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* *Origenes* (Matth. 20. tract. 12.) Nam etsi Angelli, & Martha ministraverunt ei, tamen non ideo venit ut ministraret, sed ut ministraret; & tantum crevit ministrans, ut impleretur quod sequitur: *Et daret animam suam redemptionem pro multis.* (1) scilicet qui crederent in eum: daret, inquam, in mortem. Sed quoniam solus erat inter mortuos liber, & fortior omni potestate mortis, omnes sequi se volentes liberavit à morte. Ecclesiarum ergo principes imitari debent Christum accessibilem, & mulieribus loquentem, & patris manus imponentem, & discipulis pedes lavantem, ut ipsi similiter faciant fratribus. Nos autem tales sumus ut etiam principum mundi excedere videamus superbiam, vel non intelligentes, (2) vel contemnentem mandatum Christi; & quærimus sicut Reges acies præcedentes, & terribiles nos, & (3) accessu difficiles maxime pauperibus exhibemus, nullam affabilitatem habentes, vel habere ad nos permittentes. *Chrysoströmus* in hom. 66. Quantumcumque ergo (4) te humiliaveris, non poteris tantum descendere quantum Dominus tuus.

(e) *Chrysoströmus* super Matth. (hom. 36. in op. imp.) Sicut testimonium studiosi agricolæ est mensis secunda; ita assidui doctoris (5) est documentum Ecclesiæ plena: unde & hic dicitur: *Et egredientibus illis ab Hierico, secuta est eum turba multa.* Neminem labor itineris impedit, quia amor spiritalis fatigationem non sentit; neminem passionum suarum recordatio retrahit, quia ingrediebantur in possessionem regni cælestis. Vere enim non habet super terram quod amet qui bonum cælestis in veritate gustaverit. Opportune autem oblatus fuit ante faciem Christi duo cæci, ut apertis oculis quasi testes virtutis

*S. Thom. Oper. Tom. VIII.*

- (1) *P. Nicolai ex Origenes omittit scilicet.* (2) *Al. & contemnentem.* (3) *Al. excessu.*  
(4) *Al. tu humiliter fueris.* (5) *Al. est prædicando Ecclesiæ plena.* (6) *Al. notissimæ.*  
(7) *Al. audiebant.* (8) *Al. imitabantur.*

EX EDIT. P. NICOL. (a) Non sicut prius in exemplari Patifensi, *Origenes*; tamen eum Glossa notat, hanc appendicem sequente confundens. (b) *Chrysoströmus* super Matth. in oper. imperf. Pro Auctore operis imperfecti, quem reponimus, *Hilarius* antea notabatur.

ascenderent cum eo in Hierusalem: unde sequitur: *Et ecce duo cæci.* Hi currentium strepitum audiebant, & personas non videbant, nihil solum habentes de toto corpore, nisi vocem: & ideo, quia pedibus eum sequi non poterant, voce sequebantur: unde dicitur: *Audierunt quia Jesus transiret, & clamaverunt dicentes: Domine miserere nostri filii David.* *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 65.) Hoc autem factum Marcus commemorat; sed de uno cæco factum: quæ ita solvitur quæstio: nam duorum cæcorum quos Matthæus interposuit, unum fuisse in illa civitate famosissimum, ex hoc factis apparet quod & nomen ejus, & patris ejus. Marcus commemoravit: *Barthimæus enim Timæi filius* ex aliqua magna felicitate dejectus (6) notissimus fuit; qui non solum cæcus, verum etiam mendicus sedebat. Hinc est ergo quod ipsum solum voluit commemorare Marcus, cujus illuminatio tam claram famam huic miraculo comparavit quam erat illius nota calamitas. Lucas vero quamvis omnino eodem modo factum, tamen in alio cæco intelligendus est par commemorare miraculum. Ille quippe hoc factum dicit, cum appropinquaret Hierico; alii cum egredieretur ab Hierico.

Sequitur: *Turba autem increpabat eos, ut tacerent.* *Chrysoströmus* super Matth. (hom. 36. in oper. imperf.) Videbant enim fordidas vestes, & non considerabant conscientie claritatem. Ecce fatua sapientia hominum: existimant enim injuriam pati magnos, si à pauperibus honorentur. Quis enim pauper ausus est divitem publice salutare? (a) *Hilarius*. Vel silentium non causa honoris exigunt; sed quod ascerit à cæcis (7) audiunt quod negabant, scilicet Dominum esse David filium. *Origenes*, tract. 13. Vel qui crederent increpabant eos, ut non appellarent eum contemptibili nomine filium David, sed potius dicerent: Filii Dei miserere nostri. (b) *Hilarius*. (8) Inveniebantur autem magis vetiti, quam compescebantur: fides enim quando vetatur, magis accenditur; & ideo in periculis secuta est, & in securitate periclitatur: unde sequitur: *At illi magis clamabant dicentes: Miserere nostri filii David.* Primo enim clamabant, quia cæci erant; secundo magis clamabant, quia verabantur ad lumen accedere. *Chrysoströmus* in hom. 67. Christus autem permittebat eos vetari, ut plus eorum audirent appareret. Hinc

I 4



autem discite quoniam, etsi abjecti fuerimus cum studio accedentes ad Deum; per nos ipsos, assequemur quod petimus.

Sequitur: *Et stetit Jesus, & vocavit eos, & ait: Quid vultis ut faciam vobis.* Hieronymus (super *Stetit Jesus*). Ideo autem stetit Jesus, quia cæci quo pergerent ignabant. Multa forent in Hierico, multæ rupes, & prærupta in profundum vergentia; idcirco Dominus staret, ut venire possint. *Origenes*, tract. 13. Vel Jesus non pertransiit, sed stetit, ut stante eo, non transiit beneficium, sed quasi de fonte stante misericordia defluit usque ad eos. *Hieronymus*, ubi supra. Vocari autem iubet, ne turbæ prohiberent, & interrogat quid velint, ut ex responsione eorum, manifesta debilitas appareat, & virtus ex remedio cognoscatur. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 36. in oper. imperf.) Vel interrogat propter fidem, ut dum cæci Christum Filium Dei confitentur, confundantur videntes qui eum tantum hominem putant. Dominum quidem Christum vocaverant, & verum dicebant; sed dicentes filium David, dissipabant quod bene confessi sunt: nam abusive & homines domini dicuntur; vere autem nemo dominus, nisi Deus. Cum ergo dicunt: *Domine fili David*, abusive Christum secundum hominem honorant; si autem solummodo Dominum dicerent, deitatem confiterentur: ideo interrogat: *Quid vultis?* Tunc illi jam non dixerunt, *Domine fili David*; sed tantum *Domine*: sequitur enim: *Dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi nostri.* Filius enim David cæcos illuminare non potest: Filius Dei potest. Quamdiu ergo dixerunt: *Domine fili David*, suspensa est sanitas; mox autem ut dixerunt, *Domine*, insula est sanitas: sequitur enim: *Miseratus autem eorum Jesus tetigit oculos eorum; & conspexim viderunt.* Tetigit autem ut homo carnaliter; sanavit ut Deus. *Hieronymus* (super *Miseratus eorum*). Præstat enim artifex quod natura non dederat; aut certe quod debilitas tulerat, misericordia donat. *Chrysostomus* in hom. 67. Hi autem sicut ante (1) donationem fuerunt perseverantes, ita & post donationem non fuerunt ingrati. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 36. in oper. imperf.) Bonum enim manus obtulerunt Christo sanati: sequitur enim: *Et facti sunt eum.* Hoc enim Deus à te requirit secundum Prophetam, solitum te ambulare eum Domino Deo tuo. *Hieronymus* (in fine Comm. in cap. 20.) Qui ergo

(1) Al. dationem. (2) Al. nec clamare. (3) Al. Jesu. (4) Al. voluntate.  
(5) Al. audiens Jesus quia pulsanti aperietur.  
EX EDIT. P. NICOL. (a) *Augustinus* de Quæst. Evang. lib. 1. cap. 20. Ejus nomine prætermissio prius cum Hieronymi verbis confundebantur sequentia, quasi ex illo essent; qui ad utrumque illud populum duos cæcos referri notat, sed aliter.

in Hierico contracti sedebant, (2) & clamare tantum noverant, postea sequuntur Jesum non tam pedibus quam virtutibus. *Rabbanius*. Hierico autem, quæ interpretatur luna, defectum nostræ mutabilitatis significat. *Origenes*, tract. 13. Mystice autem Hierico intelligitur mundus, in quem Christus descendit. Qui autem sunt in Hierico, exire nesciunt de sapientia mundi, nisi viderint non solum Jesum exeuntem de Hierico, sed etiam discipulos ejus. Hæc ergo videntes, secuta sunt eum turbæ multæ, mundum, & mundana omnia contemnetes, ut Christo duce ascendant in Hierusalem caelestem. Duos cæcos possumus dicere Judam, & Israel, qui ante Christi adventum cæci fuerunt, quia non videbant verbum verum, quod erat in lege, & Prophetis; tamen sedentes secus viam Legis, & Prophetarum, & secundum carnem tantum intelligentes, clamabant tantum ad eum qui factus est ex semine David secundum carnem. *Hieronymus* (super *Et egredientibus illis*). Vel duos cæcos plerique phariseos, & adductos intelligunt. (a) Vel aliter. *Duo cæci sedentes juxta viam* significant de utroque populo quosdam qui coherentes, per fidem dispensationi temporali secundum quam Christus vivit, & desiderantes illuminari; id est, aliquid de Verbi æternitate intelligere: quod transiente (3) Domino impetrare cupiebant, id est per meritum fidei, qua creditur Filius Dei, & natus homo, & passus propter nos: per hanc enim dispensationem quasi transit Jesus, quia actio temporalis est. Ortebat autem ut tantum clamarent donec resistente sibi turbæ strepitum viderent; id est, si perseverando animum intendere orando, atque pulsando quousque consuetudinem desideriorum carnalium (quæ tanquam turba obstruit cognitioni lucem veritatis æternæ videre conanti) vel ipsam hominum carnalium turbam, studia spiritualia impediunt, fortissima intentione superarent. *Augustinus* de Verbis Domini, serm. 18. Bonos enim Christianos volentes facere præcepta Dei, Christiani mali, & repidi prohibent; clamant tamen illi non deficientes: cum enim quisque Christianus cepit bene vivere, mundumque contemneret, in ipsa sui (4) novitate patitur reprehensores frigidos Christianos; sed si perseveraverint, ipsi jam obsequantur qui ante prohibebant. *Augustinus* de Quæst. Evang. (Lib. 2. cap. 28.) Itaque (5) audiens Jesus, qui ait supra 7. Pul-

santi aperietur, sans eos tangit, & illuminati multi: primo Judæi, ut in actibus legimus; quia enim fides incarnationis temporalis ad æterna intelligenda nos præparat, transiente Jesu admoniti sunt, ut illuminarentur, & ab eo stante illuminati sunt: temporalia enim transiunt, æterna stant. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 36. in oper. imperf.) Quidam interpretantur duos cæcos Gentiles: (1) unum ex Cham, alium ex Japhet: qui secus viam sedebant, id est, juxta veritatem conversabantur, sed veritatem invenire non poterant; vel secundum rationem verbi consistentes, quia notitiam verbi nondum acceperant. *Rabbanius* (super *Turbæ increpabat eos*). Agnita autem fama nominis Christi, participes ejus fieri quærebant, Contradicebant

(1) Al. unus & alius. (2) Al. a sensibus. (3) Al. a videamus, & sequamur.

## CAPUT XXI,

(a) **E**T cum appropinquasset Hierosolymis, & venisset Bethphage ad monte Oliveti, tunc Jesus misit duos discipulos, dicens eis: Ire in castellum quoddam contra vos est; & statim invenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: solvite, & adducite mihi. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet; & concessim dimitte eos. Hoc autem totum factum est ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Dicite filie Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus sedens, super asinam, & pullum filium subjugalis. Euntes autem discipuli fecerunt sicut præcepit illis Jesus; & adduxerunt asinam, & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turbæ straverunt vestimenta sua in via; alii autem cadebant ramos de arboribus, & sternerant in via. Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant dicentes: Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in altissimis.

(b) Et cum intrasset Hierosolymam, commota est universa civitas dicens: Quis est hic? Populi autem dicebant: Hic est Jesus Propheta à Nazareth Galilæe. Et intravit Jesus in templum Dei; & ejiciebat omnes vendentes, & ementes in templo, & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit; & dixit eis: Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et accesserunt ad eum cæci, & clauderunt in templo; & sanavit eos. Videntes autem principes Sacerdotum, & scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hosanna filio David, indignati sunt, & dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Jesus autem dixit eis: Utique. Numquam legistis quæ ex ore infantium, & lactentium profecti laudem?

(c) Et relictis illis, abiit foras extra civitatem in Bethaniam, ibique mansit. Mane autem revertens in civitatem, esurit. Et videns sici arborem unam secus viam, venit ad eam, & nihil invenit in ea nisi folia tantum, & ait illi: Numquam ex te fructus nascatur in sempernum. Et arefacta est continuo ficulnea. Et videntes discipuli mirati sunt, dicentes: Quomodo continuo aruit? Respondens autem Jesus ait eis: Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non hæsitaveritis, non solum de ficulnea facietis; sed & si monti huic dixeritis: Tolle, & jacta te in mare, fiet; & omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.

(d) Et cum venisset in templum, accesserunt ad eum docentem principes sacerdotum, & seniores populi dicentes: In qua potestate hæc facis? Et quis tibi dedit hæc potestatem? Respondens Jesus dixit eis: Interrogabo vos & ego unum sermonem; quem si dixeritis mihi, & ego vobis dicam in qua potestate hæc facio. Baptismus Joannis unde erat? & Carlo, an ex hominibus? At illi cogitabant inter se dicentes: Si dixerimus, E Carolo, dicit nobis: Quare ego non credidistis illi? Si autem dixerimus, Ex hominibus, timemus turbam. Omnes enim habebant Joannem sicut Prophetam. Et responderunt Jesu; dixerunt, Nescimus. Ait illis & ipse: Nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio.

Quid